

DE  
COLCHICO AUTUMNALI.

---

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA UNIVERSITATE LITERARIA

TURICENSI

UT SUMMI

IN MEDICINA, CHIRURGIA ET ARTE  
OBSTETRICIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XXVII APRILIS ANNI MDCCCXXXV

PUBLICICE DEFENSURUS EST

AUCTOR

IOANNES CASPARUS HAUSER

UETICONENSIS - TIGURINUS.

---

TURICI

TYPIS ORELLII FUESSLINI ET SOCIORUM.

MDCCCXXXV.

## COLLEGIUM ANATOMICO

PUBLISHED BY THE

OFFICE OF THE

LIBRARY OF THE

ALMA MATER UNIVERSITY

LIBRARY

1877

IN MEDICINE: SURGERY, &amp;c.

OBSTETRIC HONORS

1877

OF THE ALMA MATER UNIVERSITY

LIBRARY

1877

ROBERT CASPER, M.D.

LIBRARY

1877

LIBRARY OF THE

1877

**VIRO EXPERIENTISSIMO, CLARISSIMO,  
DOCTISSIMO**

**HENRICO LOCHER-ZWINGLI**

**MEDICINAE, CHIRURGIAE ET ARTIS OBSTETRICIAE DOCTORI,  
IN ALMA LITERARUM UNIVERSITATE TURICENSI CHIRURGIAE  
ET CLINICES CHIRURGICAE PROFESSORI P. E.**

**PRAECEPTORI OPTIME DE SE MERITO**

**HAS LITERARUM PRIMITIAS**

**D. D. D.**

**AUCTOR.**

UNIVERSITY OF MICHIGAN LIBRARY

1907-1910

PHYSICS - 1871-1872

PHYSICS - 1871-1872

PHYSICS - 1871-1872

PHYSICS - 1871-1872

PHYSICS - 1871-1872

PHYSICS - 1871-1872

PHYSICS - 1871-1872

PHYSICS - 1871-1872

PHYSICS - 1871-1872

PHYSICS - 1871-1872

PHYSICS - 1871-1872

PHYSICS - 1871-1872

## DE COLCHICO AUTUMNALI.

---

### CAPUT I.

#### *Nomina et brevis descriptio Colchici autumnalis.*

Colchicum autumnale *Linnaei*. — Filius ante patrem \*). — Autumni praeco et decus autumnale. — Zeitlose, Herbstzeitlose, Wiesenzeitlose, Lichtblume, wilder Safran, Spinnblume, Storchenbrod, Winnblume, Wiesen-safran, Michaelisblume, Hundshode, nackte Jungfer, nackte Hure, und folia una cum capsula, Kuhpuppe, Mutschule, Küntsch.

Colchicum ad sextae classis ordinem tertium Linn. pertinet (Hexandria trigynia); e systemate naturali *de Candollei* Colchiacearum, *Roberti Braunii* Melanthacearum familiam efficit.

Colchicum est planta perennis, quae per totam fere Europam in humidis pratis et pascuis crescit. Radix eius est bulbus succosus, carnosus, ovatus, paullulum compressus, in parte inferiore fibris radiceis praeditus, pollicem crassus; intus albus, extrinsecus vero subflavus, cum propria duplice, extrinsecus castanea, intus tenui, pallida, splendente cute, quae passim tenuibus squamis paullulum soluta est, circumvoluta. Bulbus, ubi flores et fructus

---

\*) *Plenk's* Abbildungen, plant. med.

tulit, quotannis emoritur quidem, sed novum excipit ad latus illius succrescentem. Quae renovatio quoniam semper in eodem latere fit, planta quotannis a loco suo circiter pollicem longius promovetur.

Folia, quae tantum tempore verno et aestivo apparent, plerumque tria vel quatuor, pulchro viridi colore, recta, splendida, nuda, striata, late-lanceata, ex ipsa radice oriuntur, inter quae amplae, tumidae, triloculares, dimidia parte cum illis ipsis concretæ capsulae interpositae sunt, magnam nigri seminis copiam continentes.

Semen est copiosum, subrotundum, ovatum, rugosum; si viride est, album; si siccum, e flavo subrufum, tumore circumiecto quasi bipartitum.

Flores, e rubro pallentes, e longa tuba a bulbo prodeunte constant et finiuntur ostiis campanulatis, quae sex altas incisuras habent. Calix deest; filamenta sunt sex, subulae similia, bina in basi breviorum laciniarum corollae inserta, ipsâ corollâ breviora. Styli tres filiformes, staminum longitudine. Flores Augusto et Octobre emergunt.

## CAPUT II.

### *Analysis chemica Colchici autumnalis.*

Colchicum aut. ob magnum, quem in medina exercere coepit, usum a pluribus chemicis ad substantias eius chemicas cognoscendas accuratius inspectum est. Inde in diversis plantae partibus variae substantiae apparuerunt. *Stoltze* \*) Martio exeunte XVI uncias et exeunte Septembri eandem copiam radiceis collegit. Ex eius analysi radix has substantias continet:

---

\*) *Kastner's deutsches Archiv für Pharmacie*, 4s Heft, S. 107.

	<i>Vere.</i>			<i>Autumno.</i>		
	U.	Dr.	Gr.	U.	Dr.	Gr.
Aquam	12	7	44	12	6	48
Amylum	1	1	33	1	4	57
Sacharum crystallinum	„	„	31	„	„	9
Sacharum gummosum	„	„	„	„	3	28 1/2
Dulcem materiam extractivam cum aliqua	„	„	„	„	„	„
Amarae copia coniunctam	„	7	34	„	2	47 (materiae extr. amar.)
Materiam extractiv. difficilem ad solvendum	„	1	40	„	„	40
Resinam balsamicam	„	„	3	„	„	4 1/2
Substantiam extract. per Kali extractam	„	„	47	„	„	39 1/2
Materiam tragacantho similem	„	1	2	„	2	7
Ligni fibram	„	2	58	„	2	4
Amissum	„	„	8	„	„	15 1/2
	16			16		

Quae autumno colligitur radix plus amyli, materiae extractivae amarae, resinae balsamicae, tragacantho similem substantiarum et volatilium partium, quae autem vere colligitur, plus sachari, sachari gummosi vel dulcis materiae extractivae, vix solubilis substantiae extractivae et fibrarum radice continet. Quarum fibrarum cinis e sulphurica et carbonica calce, ferro, alumine, magnesia et paucissimo Kali constat.

Secundum inspectiones, quas instituerunt *Pelletier* et *Caventou*, Colchici radix pinguem habet materiam, acidum volatile, fibrinam, quae substantiae omnes cum iis hellebori albi congruunt.

*Thomson* in radice gluten inesse et inde illius facultatem pendere dicit tincturam Guaiaci caeruleo colore

infiendi, quam facultatem amittit, ubi vehementius sicatur.

Semen, cuius nulla adhuc chemica analysis instituta est, minorem acidarum substantiarum copiam continere videtur.

*Copland* flores efficacissimas et mitissimas plantae partes esse censet.

### CAPUT III.

#### *De vi et usu Colchici autumnalis.*

*Störk*, vir de materia medica optime meritus, huius egregii, e medicina quasi eieci vel certe neglecti remedii usum restituit. Quod quidem cum in classem acide diureticorum remediorum referendum esse videretur, ab omnibus paene remedium squillae simillimum putatum est, quamvis ratione, qua vim suam exercet, ab illa magnopere differat:

- a. quod nutritioni et digestioni multo minus periculi affert;
- b. quod multo magis excretionem alvi, quam vomitum progignit; — quare ad evacuantia numerari potest eodem iure, quo squilla ad emetica refertur;
- c. quod tandem Colchici praeparata topice multo stimulantiore et simul narcoticam vim exercent — quare praecipue a squilla differt.

Si Colchici parvae doses dantur, praesertim urinae secretio aucta, lenis alvi excretio nec non aliqua excretionis sudoris auctio observatur; dolores et pulsus arteriarum minuuntur.

Auctis dosibus inprimis frequentes alvi evacuationes

cum colice, tenesmo et maiore ad urinam reddendam proclivitate efficiuntur. Dosibus denique maioribus usque praebitis vehementes diarrhoeae, entritis, tenesmus, haemorrhagiae e recto et uretra, rigor linguae, constrictio et ardor in pharynge producuntur.

Colchici proprie acriter narcotica vis est, ita ut in venenatis hominibus omnia symptomata, quae acriter narcoticis materiis procreantur, appareant. Quam vim acriter narcoticam omnes quidem plantae partes, sed non aequo modo habent.

Factum est aliquando, ut flores in lacte cocti infantem interficerent. Ipse quoque bene memini, duos infantes ante unum annum capsulis Colchici ludentes aliquid seminis percipere; unde vehemens colica et permanens vomitatio orta est, quae praeterlapsis tribus horis sudore promanante prospere evenit.

Colchicum singularem quandam et propriam vim specificam ( — quoad talis statui potest) in rheumatismo et arthritico morbi processu habere et, sicuti amara remedia in feбри intermittente, in illis morbis typum intermittentem progignere videtur. — Pro variis viribus, quas exercet, in his morbis singulis adhibetur.

A. In rheumatismo, praecipue in rheumatismo acuto, ubi Colchici vis eo praesertim cernitur, quod intermittentem typum procreat, non vero, quod — sicut *Chelius* censet — ab eo sedimenta acidi urinarii secerantur; haec enim sedimenta iam praeterea in ipso rheumatico morbi processu plura vel pauciora adsunt. Typum vero intermittentem a Colchico progigni, in Nosocomio Turicensi plura exempla docuerunt, quorum duo hic adiecit sufficiet.

I. Z.... ab U.... oriundus, XXV annos natus, au-

riga, qui iam semel ante decem annos rheumatismo acuto laboraverat, sed eo prorsus liberatus erat, die vigesimo nono Aprilis MDCCCXXXIV in Nosocomium venit. Omnia in eo symptomata rheumatismi acuti, magis inflammatorii, praecipue in dextri pedis articulationibus et in superioribus extremitatibus apparentis et cum statu gastrico satis vehemente coniuncti conspiciebantur. Quum mediocri venaesecione et emetico natura inflammatoria febris et gastrica symptomata remota essent, Colchicum hac ratione adhibitum est:

Recipe: Gumm. Arab. unc. dimid.

Sal ammon. muriat. drachm. unam

Solve in aquae font. unc. sex

Adde vin. semin. Colch.

Succ. liquir. à drachm. unam

M. D. S., altera quaque hora una patella.

Iam insequente die maior in articulationibus mobilitas fuit et dolor minutus; febris intermittentem typum accepit. Repetita eadem illa formula et continuato illorum remediorum usu crises praecipue per cutem exstiterunt; febris et symptomata topica plane evanuerunt, et aegrotus Nosocomio sanus discessit.

I. O. . . . ab O . . . oriundus, XXVII annos natus, famulus domesticus, iam semel rheumatismo acuto affectus, sed feliciter sanatus erat. Die trigesimo Ianuarii MDCCCXXXV in Nosocomium Turicense receptus est. Qui quum examinaretur, omnia symptomata rheumatismi acuti inflammatorii conspecta sunt: acerbi dolores in sinistra pedis articulatione et in genu, vehemens tumor, calor, pulsus XCictuum, intensus, plenus, urina admodum acide reagens, gastricus status; ipsum cor particeps. Iam vero venaesecione facta,

emetico dato et emplastro Cantharidum in pectore applicato, inflammatorius status imminutus est, ita ut Colchici usus hac dose fieri posset:

Recipe: Vin. sem. Colch. drachm. duas  
 Liq. Kali subcarbon. unicum dimid.  
 M. D. S., altera quaque hora guttae XXIV, in  
 aqua.

Topica affectio magnopere minuta est; cordis affectio plane desiit; febris typum intermittentem recepit; in cute et urina critica symptomata apparuerunt. Eodem remedio ratione supra dicta repetito aegrotus post XIV dies sanatus e Nosocomio abiit.

B. *In iritide rheumatica*, ad quam removendam Prof. *Locher-Balber* Colchicum cum felici successu adhibuit.

C. *In hydropsiis*, praesertim *atonicis* post scarlatinam et febrem intermittentem.

D. *In arthritide et vera et anomala Home et Wart* primi cum optimo eventu Colchico usi sunt.

E. *In dolore faciei Johnson* illo adhibito velocissime dolores minuit.

F. *In morbis viarum urinariarum*, praecipue in quibusdam generibus ischuriae, etiam in diabete mellito.

Colchicum in morbis modo dictis cum successu non semper pariter felice datur. Vires eius quam maxime praesentes in rheumatismo et in arthritico morbi processu conspiciuntur. — Continuatis observationibus salubres Colchici vires in morbis, in quibus adhuc nondum illud remedium adhibetur, comprobatum iri verisimillimum est.

## CAPUT IV.

*De dosibus et praeparatis Colchici autumnalis.*

Colchicum varia pharmaceutica praeparata, praecipue e radice et semine, nobis suppeditat.

## A. Praeparata e radice.

Bulbus siccatus nunc quidem non amplius adhibetur, propterea quod vis eius prorsus nulla apparet.

*Stoerk Colchico oxymelle*, ex una parte aceti Colchici et duabus partibus mellis composito usus est; dosis I — II scrup., altera quaque hora.

*Acetum Colchici* e tribus unciis viridis radiceis et triginta sex unciis aceti vini praeparatur; dosis I drachm.

Angli *tincturam Colchici* e quatuor unciis viridis radiceis cum sex unciis spiritus vini mixtam habent; dosis quotidie II drachm.

Praecipue amatur *vinum Colchici*, quod e duodecim unciis viridis radiceis, sedecim vel octodecim unciis vini Hispanici et aliqua spiritus vini copia praeparatur; dosis quotidie I drachma ad IV scrup.

## B. Praeparata e semine.

Seminis in pulveres redacti doses V vel VI granorum dari solent.

*Vinum seminis Colchici*, quod magnopere celebratur, ita paratur:

Recipe: Sem. Colch. aut. unc. VI.

Vin. Hisp. Octoar. I.

Digere per dies octo vel decem; subinde agita, dein cola per chartam et in vase probe clauso conserva usui. Dosis eadem, quae vin. rad. Colch.

Ex ipsis quoque floribus tinctura paratur: *vinum et acetum flor. Colch.*

Denique Colchicum partem aliquam primariam in variis formulis officinalibus efficit, in aqua *Hussonii* (eau médicinale d'Husson) et in tinctura antarthritica *Wilsonii*.

## THESES DEFENDENDAE.

---

- I. Hominum morbi in animalia transferri non possunt.
  - II. Varia morborum curatio a genio epidemico et endemico pendet.
  - III. Remedia vegetabilia mineralibus in Neurosis praeferenda.
  - IV. Fluxus coeliacus non est morbus.
  - V. Diabetes non cernitur in aucta urina.
  - VI. Hydrophobiae certum remedium adhiberi non potest.
  - VII. Nulla est suppuratio, nisi antecessit inflammatio.
  - VIII. Glandula parotidea radicitus extirpari non potest.
  - IX. Canceri operatio prorsus reiicienda.
  - X. Resectio amputationi anteponeunda.
  - XI. Exstirpatio uteri in vivo corpore peracta, chirurgo rationali indigna.
  - XII. Artis obstetriciae maior usus quam medicinae et chirurgiae.
-



